



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

11. S. Martinus Episcopus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

Fili! *quid habemus, quod non accepimus? Si autem accepimus, quid gloriamur, quasi non acceperimus?*

Festum S. Martini Turonensis
Episcopi, & Charitatis erga Pro-
ximum perfectæ Speculi cla-
rissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

Non erat virtus, quam non admire-
mur in Sancto Martino. Eminuit
tamen charitas erga inimicum. Hunc
non modò à faucibus liberavit inferni,
sed & à Deo impetravit, ut sibi in Epi-
scopatu succederet, summumque San-
ctitatis attingeret apicem. Et hoc ama-
re non sit? Hoc non seipsum vincere?
Fili! si nobis imperamus, subditos ha-
bet nemo nobis plures. Monarchæ or-
bis effecti sumus. Ubi enim hoc impe-
rium, quidquid extra nos est, rationis
imperio subiectum, imò sub pedibus
captivum tenemus. Plura nec nos pos-
sumus petere, nec ullus in hac vita dare.
En! Regnum Dei, Regis magni, intra
nos!

In-

Instructio meritoria.

Bene S. Augustinus: *Inimicum diligere, tantum Christianorum virtus est.* Quis omnibus (etiam inimicis) omnia fiet? Prævidemus, quòd neque nos. Sed non ita, mi dilecte! Possumus, si volumus, ardenti, fidei, amicabili charitate. In hac sunt funiculi, quibus & averſi attrahuntur animi. Igitur urnulam faciamus, & quoties offensi, vel afflicti fuimus, schedulam injiciamus cum inscriptione: *Deo gratias! Pater dimitte illi.* Oremus singulis septimanis unum S. Rosarium gaudiosum pro inimicis, & persecutoribus nostris. Solvi debent non tam propria, quàm & aliena debita.

II.

MAGNUM Sancto Martino attribuit encomium Ecclesia universalis, dum exclamat: *O ineffabilem virum, nec labore victum, nec morte vincendum; Qui nec mori timuit, nec vivere recusavit.* Fili! nunquid in Divo Martino nostrum cernimus formam? Inspiciamus! Sed non sine sequela. Unicum

cum temporis momentum, quod nobis pandet æternitatem, utinam omnes totius vitæ curas exhauriat! Vivimus, non tam respirando, quam expirando.

Instructio meritoria.

A prandio aliquod assumamus opus manuale cum tessera: *Æternitati vivo! æternitati laboro!* Tempore tœdii, vel nausæ internæ ad res sacras nos citò ipsos excitemus, & ad Sanctissimum Venerabile nos conferamus, recitantes ibi Litanias de dulcissimo Nomine Jesu. *Jesus est mel in ore, melos in aure, jubilus in corde.* S. Bernardus.

III.

MOritur tantus Præsul! Sed quomodò? Indurus ciliciò, & jacens inter cineres super nudam terram, dixitque: *Non decet militem mori non armatum.* Pœnitentiâ, & oratione beatificatur mortis horula. O si nos nunquam sine illis! Nunc vires integræ sunt! Strenuè oremus! Serio pœniteamus! Mors præfens rarò redditur bona, fieri vult, antequam adsit. Tempus non
sup-

suppetet mori discere, cùm moriendum erit.

Instructio meritoria.

Habet & suos S. Martinus discipulos, quos inter & illi, qui singulis feriis VI. Vel sabbathis, ut bonam, quietam, & serenam obtineant mortis horam, nunquam utuntur lecto, aut dulci culcitra; sed humo durâ, nuda, hispida. Imitemur! Cum consensu tamen Patris spiritualis. Vel feriâ VI. aut sabbatho in hunc finem ad noctem abstineamus ab omni cibo calido pro condigna præparatione ad mortem. Non delitiosi, sed violenti rapiunt cœlum, & mortem triumphant. Hodie oremus pro nobis ipsis *commendationem animæ.*

Festum Patrocinii Beatissimæ Virginis Mariæ.

EXHORTATIUNCULA I.

Monet nos hodie S. Joannes Chrysostomus: Quicumque amatis Virginitatem, & vitæ sanctitatem, ad Matrem confugite Domini, ut ejus Patrocinii utilitatem assequamini. Deus ita dili-